

cordatiorum quorumuis plausum meruit. Nunc altero quoque publico specimine exhibito, quo Sacrorum Christianorum primordia apud Cimbroſ pandis, in eodem adhuc ſtadio pergis, veſtigiaque adeo premis et relegis, quae a Tuis et Academiae noſtrae Maioribus quondam expreſſa cernimus.

Proinde cum oblato hoc altero eruditionis Tuae documento honores ſimul Academicos ambieris, amplisſimusque Philoſophorum Ordo, exantlatis pro more examiniſ, Tibi eoſdem iam decreuerit rite conferendos, non potui facere, quin in pagina adhuc vacua calculum meum adiicerem, quem omnino fert doctriſinae, ſtudiorumque, vitae ac morum Tuorum ratio. Hanc igitur mentem et animum, hoſ eruditionis Tuae theſauros iam paratos et poſthac parandos, hoſce denique honores, quos Ordo noſter ex merito proſus Tuo Tibi mox conferet, cum TIBI, cum NOMINI Tuo, cum PARENTI Optimo, cum PATRIAE, cum ACADEMIAE noſtrae impenſe gratuler; gratulor tamen et MIHI, quod ad editum hunc elegantem ingenii Tui foetum, ad quem alioquin opera et labor meus acceſſit nullus, Suſceptoris tamen vicibus me quaſi fungi volueris. Quod quidem officiorum genus hoc praeſto libentius, cum et muneris mei ratio illud poſtulet, et multi Tui ſimiles a me optentur Academiae noſtrae alumni, qui iisdem Tecum ſacris litent. Age igitur, et quam inter Muſas noſtrates hucusque calcaſti viam, eidem porro apud exteras inſiſte, et paribus ſemper paſſibus ambula: ſisque memor Tui, ſis memor Tuorum, ſis demum et memor mei. Ita vale et bonis auibus vade! Dab. III. Id. Sept. A. O. R.

MDCCXXVIII.



Hist. Holzsch. 115, 16